

CHRISTIANISSIMO, CLEMENTISSIMO, ET INVICTISSIMO HENRICO III.  
Francorum & Nauarreorum Regi, Triumphatori, semper Augusto. IACOBVS D'AMBOYSE Med.  
Academiæ Parisiensis Rector, Diu Regnare. 239

**E**X CHRISTIANISME, Si apud Maronem dignus fuit specialis nota miles ille *primus in aduersis telum qui testis hostes*: non indignus videbor aliqua gratia qui tuum Augustum nomen ausus fuerim primus omnium publice profiteri, & majusculis literis præfingere iis assertionibus quas in eunte autumno agitando propuleram in hac Metropoli ab Hispanice factionis peruellibus tunc miserè circumfessa, & penitus occupata & oppressa, cum in istis furoribus Celibericis rectè dicere, ac nequidem benè sentire, nisi tum extremo vitæ periculo non licebat. A qua barbarie & tyrannide tu singulari D. Opt. Maximi munere, Beataque Virginis tutela, urbem tuam, ac potius orbem vindicasti, & in libertatem afferuisti, tanta felicitate, vt in eâ nemo, ne que armatus, neque inermis occiderit. In qua illud tuum *in iuramentis*, pluriquam triginta tyrannorum vulnera sanauit: in qua templis pietas, cathedris veritas, senatui amplitudo, legibus sanctitas, Musis decus, ordinibus dignitas, agris vicinis vberetas, ciuibus vnitatis, omnibus salus, Sanatibus idem iuris quod fortibus, te reduce, te vindice & liberalissimo datore post-limino redierunt: in qua nos qui hoc triump & sexaginta mensium exilium volentes, videntibus patiebamur, hac tua dupli victoriæ facti ciues tuæ Virtuti, tuo Honori, tuæ fortunæ, quam tot magnarum urbium editiones comitantur, ouantes triumphantem gratulamur, acclamamus, fausta omnia comprecamur. Quis ergo vetabit, aut inuidebit me hoc altero certamine, solemnique agone sacratissimi nomen tuum geminare, te Patrem Galliarum pleno ore iurare, cum habeat hoc paternum atque autum, immò etiam fraternum, vt Regibus animam debeamus, vocemus, præferimus cum solita ministeria mihi accesserit nihil tale ambientem, nequidem cogitanti Rectorius magistratus principis Academiæ, filiz Regum primogenitæ, cuius priuilegium confirmationem, antecessorum *apud*, & reformationem, annuente D. comite Cheuernoace & quilibet huius seculi Papiniano, curate etiam D. archiepiscopo Bituricensi dignis, Senonensi designato Galliarum Germaniæ & Aquit. primatè amplissimo, & magno Franciæ Elemosynario ad Majoritatem tue genua, cum facultatis Theologicæ Decretorū ac Artium, viris selectis prouoluit facile imperauimus. Faxit luminis pater, vt Dioclori tui fulgore salutari Galliarum tempestates propediè sedatas letemur. *Me tabula sacer ystini paries indicat humida suspendi se potens vestimta a mari Deo.* E tua Regia Nauarra.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS  
Medicorum, die Iouis 28. Aprilis D. M. Nicolao Elain Doctore Medico moderatore prudentissimo.

An venæ sectio arthritidi purgatione commodior?

**O**MMVNIA morborum omnium ab humorum vitio genitorum presidia sunt venæ sectio, & purgatio: quæ tamen non pari iure, vsique simili omnibus decernuntur. Nam vt illa plethora, sic ista cacochymia magis conuenit. Illa morbis acutis primo quoque tempore tutius, hæc chronicis post concoctionem melius imperatur. Illa compescendis inflammationibus, reprimendis fluxionibus, sedandis doloribus longe maiori, quam hæc commodo prescribitur. Vbi vtraque æque necessaria est ab illa semper inchoandum. Si quibus verò in morbis tum curandis, tum præcauendis phlebotomia locum habet, maximè in Arthritide, quæ vt doloris acerbitate nullis cedit, ita multis communem habet fluxionem & inflammationem, qua sublata non nisi quadraginta diebus conualescit.

**I**NTER dolores artuum, articularis tantum ille dicitur, qui ex interuallis articulos infestat: quique non ab intemperie sola, sed ab humore calido vel frigido excitatur. Qui non solum oppleta cauitate articuli, sed etiam discentis vinculis nervosis, membranarum, & musculis adiacentibus tumorem efficit, cum inflammatione & dolore incredibili coniunctum: Quamuis nulla inde sequitur conuulsio, neque tumor vnquam ad supurationem perducitur. Vt autem articularum, sic dolorum arthriticorum multe sunt differentie, ex quibus tres sunt precipue, podagra a pollice serè incipiens, quæ cum frequentissima, tum longissima est: Chiragra, quæ inflammatione molestissima: Ischiæ, quæ vt sanissima est, ita curatu difficilissima: ac sæpe luxationem & claudicationem inuehit, nisi caustico periculum & recatur.

**A**M CVM QVE partem occupet Arthritis duas omnino causas habet, fluxionem serij cuiuslibet humoris, sed rarius melancholicæ, & partis suscipientis infirmitatem. Fluuit humor non solum è capite secundum nervos & membranas, sed etiam ex intimis visceribus & toto corpore, per venas & arterias: Qui humor plerumque crudus est & pituitosus. Fomitum huic suggerunt vini generosiora, ingluuies, cruditas omnis ex vita intemperata, otium, solemnitas vacationis vt in Phætusa suppressio, concoctionis triplicis imbecillitas. Fluxionem promouent calor & frigus ambientis, austeritas vel pluuiosa aeris constitutio, motus a cibo, inarticularum imbecillitas estimatur cum ex aliis, tum maxime ex intemperie partis & viarum laxitate. Eaque vel congenita est, quæ parentum arthriticorum semini morbofo accepta fertur: vel diæta vitio contrahitur, frigore, labore immodico, otio, vino, venere, luc Hispanica, icthi, balneis frequentioribus.

**Q**VAMOBREM Spadones raro, pueri numquam podagra laborant. Contrà senibus ea valde est familiaris. Quod ad sexû attinet viri ea quam mulieres facilius corripuntur: pauperes quoque rarius ea prehenduntur quam diuites. Inter anno tempora, vere & autumnus dolores podagræ frequentius concitantur. Quamquam autem podagræ viam agant ærumnosam, hoc tamen commodi habent, vt sicut splenitici grauedine, icterici flauo, hamorrhoiici melancholia minus tentantur, ita a cæteris morbis magis vindicentur, nisi in se recurrens humor hydropem, vel colicum dolorem vel asthma funestum inuexerit.

**V**RATIO Arthritidis operosa quidem, sed sperabilis. Vt autem a communibus remediis inchoanda est, sic topicis abfoluenda. Ex illis præcipuam vim habet phlebotomia, primum ex latere opposito, tandem ex laborante, quæ omnium maxime fluxionem reprimat, febrem extinguit vel prohibet, dolorem mitigat, & partem affectam exonerat. At catharticoꝝ usus minus feliciter succedit, vt quæ suentem humorem magis concitent, nihil de parte inflammata detrahant, symptomata non minuunt, & vires ipsas demoliantur. Quamobrem in ischiæ, plus vomitui & enematis acrioribus tribuendum. Interim articulis repellentia & anodyna, tandem diaphoretica admoventur. Quorum illa, ischiæ laboranti non minus aduerfantur, quam dropaces, phænigni & caustica opitulantur. Profligatio morbo, recursum prohibendus est victu frugali, vini & veneris abstinentia, roborantibus sumptis, & admotis. Denique quibus per interualla morbus recurrit, aut diæta, ut phlebotomia, potius quam purgatione prohibetur.

Ergo venæ sectio arthritidi purgatione conuenientior.

Proponebat IACOBVS D'AMBOYSE Academiæ Parisiensis Rector. CIO. IO. XCIII.

